

physica mere experimentalis commendari quidem debet, sed manus magis quam ingenii dexteritatem postulat, atque optandum maxime foret ut qui manuum industria pollent, solam experientiam tractarent: alii vero qui meliori nobilitatique sagacitate, ingenii scilicet, præditi sunt, partem theoreticam sibi assumerent; & ita conjunctis viribus ad physices progressum conferrent.

VI. Quamvis physica theoretica in effectibus explicandis occupata sit, cavere tamen maxime debent Physici ne effectuum causas temerario proferant; igitur ut totus physices scopus intelligatur, quid *causæ physice* vocabulo significari velim clare exponam. Deus est prima & unica rerum omnium causa; verum antequam ad primam alicujus effectus causam perveniamus, plurimæ aliquando percurrendæ sunt intermediæ causæ; ita ut effectus alicujus causæ non tam causa dici debeat, quam effectus alius qui suam quoque habet causam, donec tandem perveniamus ad effectum qui nullam agnoscat causam præter Deum, vel ipsam corporum naturam; rem exemplo illustrabimus. Gravium descendentiæ legem accurate demonstrant physici; hujus descensus causa est *gravitas*, quam velut effectum ex alia causa oriundum considerant plurimi physici. Itaque licet corporum descensus proxima causa nota sit, gravitas nempe, ignota tamen est causa remota, sive causa gravitatis; quare ut plurimum sistendum est in causis proximis, nec remotiores causæ asserti debent, nisi fuerint perspicue